



Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitivm Divinvm De Praesentia Dei

Arias, Francisco

Herbipoli, 1612

De Aspirationibvs, orationibusq[ue] iaculatorijs attinentibus ad viam
Purgatiuam. Cap. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50314](#)

72 FRANC. ARIA E EXERC.

nisi vna pro qualibet via; tamen,
si crebrius magno affectu itere-
tur, sufficiet ad capiendum hu-
ius sancti exercitij fructum. Fa-
cile autem poterunt è memoria
recitari, si sèpius perlegantur &
repetantur.

D E A S P I R A T I O N I B V S ,
orationibusq; iaculatorijs attinen-
tibus ad viam Purga-
tiuam.

C A P . I X .

A SPIRAT I O N E S conue-
nientes viæ purgatiuæ sunt
hæ: Domine Iesu Christe, Deus
meus & Saluator meus, qui ad
saluandos peccatores in mun-
dum venisti, ignosce mihi, &
salua me. O Deus meus, quid
agam? quid dicam? peccavi co-
ram te, & contra te benignissi-
me

me creator, & dulcissime redemptor , miserere mei Domine. Agnosco Domine scelera mea, ea tibi confiteor , condona illa. Destitutus sum , Domine , omni pietate , vilissimus & infirmissimus peccator sum , nihil sum , nihil ex me valeo , adiuua me Domine , & miserere mei. Utinam , Domine , nunquam te offendissem. Utinam nunquam ad iram prouocassem. Utinam , Deus , semper voluntati tuæ obediuisse , & sanctis tuis inspirationibus satisfecissem. Remoue à me , Domine , quicquid tibi displicet in me , & mihi nocet. Propono Domine , me , adiuuante tua gratia , te non amplius offensurum , occasioneſque delinquendi vitaturum. O piissime leiu , misere re mei miseri & abominandi peccatoris. Indignus sum à terra

D suspen-

74 FRANC. ARIÆ EXERC.

sustentari, & me suscipe per tu-
am misericordiam ac sanctissime
vitæ, passionisque tuæ merita,
nec non ob benedictæ Matris
tuæ Sanctorumque omnium in-
tercessiones. Omnia scelera, &
negligentias vitæ meæ, quæ sunt
innumerabiles, & grauissimæ
conijcio in tui immensi amoris
flamas, & infinitam misericor-
diam tuæ abyssum, in sacratissima
tua vulnera, ut in ijs consuman-
tur, mihique pœnitentiam in-
iungo. Lava me, Domine, tuo
preciosissimo sanguine; quia una
gutta illius sufficit ad saluandum
totum mundum. Sana me ab
omnibus plagis meis, quia tu es
fons salutis. Sanctifica me auctor
sanctitatis. Deus meus, largire
mihi sanctum iudiciorum tuo-
rum timorem. Concede mihi,
bone IESV, dolorem & odium

GRAN

grande de peccatis meis. Da mihi odium mei ipsius. Da, dulcissime mi Saluator, robur ad mortificandas meas passiones. Da mihi, ut rectum iudicium de me feram. Da, ut seuerè à me exigam pœnas, ad satisfaciendum iustitiæ tuæ. Da mihi, Saluator, ut quamcumque pœnam, tribulationem, contemptum libenter recipiam in satisfactionem pro meis delictis. Da, ut potius eligam mori, quam peccare. Da, ut non modo timeam, fugiamque peccata grauia, sed etiam leuia. Da mihi firmissimum propositum non amplius peccandi. Da mihi gratiam perseverandi, pœnitentiam tota vi- ta mea agendi.

